ut non cum Orpheo saxa, aut Sirenibus navigantes, sed
Deum Altissimum, Immensumque ad tua pertraheres viscera.
suavem dixi debas virtutum sonum; quid enim te in Theoria
sublimius? quid in agnitione sui humilius? quid in
amando Deo ferventius? quid in castimonia luce
splendidius? quid in taciturnitatis gravitate modestius?
quid in obedientiae ala velocius? quid in paupertatis
thesauro locupletius? quid in discretionis matre
prudentius? quid in aequitatis lance religiosius? quid
in curando et amando proximum alacrius? quid denique
mitius? quid fortius? quid laboriosius? nam cum tristitiae
barathro absorpti, desperationis turbine prostrati
tibi se offerrent, inveniebant mitissimam; cum longa
cibi potusque esurie membra, caróque calcitrosa foret
edomanda, Hercule fortior, animosiorque apparebas;
cum diurnis, nocturnisque horis, modò sacris precibus,
insistendum, modo speculationi incumbendum, modo tenera
manus ad opera applicanda, nec in oratione fer-
ventius, nec in speculatione sublimius, nec in labore
laboriosius, nec demum in omni sanctitate quid subli-
mius, in omni sublimitate sanctius, in utrisque
divinius quidquam reperiebatur. Et hae quidem universa,
hae tam admiranda, tam divina, tam infinita, quae nec
in aliis omnibus unquam visa, vel audita sunt, aut si visa
sunt non tam perfectè eminentérque visa sunt, in te
una, omnia eminentissima, omnia perfectissima
visa sunt. Hae in te ô Mater verè admirabilis,